

DE

**FIDE TACITI**  
**IN REBUS GERMANORUM**

**QUAESTIO I.**

SCRIPSIT

**TH. B. WELTER,** PROFESSOR.



DE

# THEATER ALMANACH

1788. THEATRE DE LA MONNAIE

SCRIBL

TH. B. MELLER.

§. 1.

**E**xstat Cornelii Taciti de situ, moribus et populis Germaniae libellus, quum omnibus omnino gentibus eruditis per se carus acceptusque tum praecipue Germanis vel probatissimus suavissimusque, utpote quibus hoc duce ac comite aditus pateat ad primordia et ad ipsa sua gentis incunabula. Ex magno enim veterum scriptorum numero, quamquam singuli singula passim et fortuito, prout placuit aut integra rerum narratio poposcit, de Germanis retulerunt, unus tamen omnium exstitit Tacitus, qui mente et consilio, quasi augurans et praesagiens futuram hujus gentis magnitudinem ac gloriam, res ejusdem omnium cognitione et memoria dignissimas separatim quoque pertractandas illustrandasque sibi sumsit illo, quem modo laudavimus, libello. Ad eximiam rerum, quae referuntur, praestantiam ac dignitatem velut cumulus accedit scriptoris gloria, quae tanta fuit non solum inter aequales, sed per omnes etiam deinceps aetates gentesque, quantam vix ulli contigisse comperimus. Eruditissimi enim ac praestantissimi omnis memoriae homines eximiis eum extulerunt laudibus et ita extulerunt, eum ut veterum scriptorum principem vocitare nihil dubitarent;

libros ejus in deliciis habebant eorumque lectione avidissime perfruebantur. Quod quam verum sit, non hujus est loci, probare testiomniis, quorum multa sunt in promtu; hoc tamen unum hic jam praecipere liceat. A Flav. Vopisco enim relatum legimus, imperatorem M. Cl. Tacitum hujus scriptoris imaginem in omnibus bibliothecis collocari, libros, ne intercederent, decies quotannis describi et publice asservari jussisse, cum se etiam ab eo genus ducere gloriaretur.<sup>1)</sup> Quae quum ita sint, suo quodam jure Germanis licet gloriari, hunc praestantissimum antiquitatis scriptorem se invenisse testem ac praeconem rerum a majoribus praeclare gestarum. Quo igitur animo eum virum amplectendum esse censemus, qui insigne illud literarum monumentum, tamquam lucem ex tenebris coruscantem, in limite rerum collocaverit Germanicarum, praeclarissimamque earum memoriam per universum disseminaverit terrarum orbem? Quare si investigandis cognoscendisque exterrarum gentium rebus operam saepe multam navamus, quanto nos studio convenit nostrae gentis antiquitates amplecti earumque imaginem, summo summi viri ingenio expressam et politam, intueri? Erit igitur nostrae pietatis, aureolum illum libellum grata memoria recolere eundemque, ut ita dicam, diurna versare manu, versare nocturna.

#### §. 2.

Multi autem nostratum hominum et olim reperti sunt et hodie reperiuntur, qui nimio suae gentis amore atque admiratione

1) Vita imp. Taciti. c. 10.

abrepti, quaecunque in exaggerandam ejus gloriam redundare videntur, temere sequi et Taciti auctoritate cum inani quodam articularum apparatu tueri conentur. Hi quidem censendi et judicandi munere sic funguntur, ut, speciosa magis quam vera sequentes, incognita pro cognitis habeant iisque temere assentiantur; ut sua etiam commenta ad Tacitum referant auctorem; ut denique pro suo quisque arbitrio fingant fictaque pro veris venditent. Quo nihil potest esse indignius et incredibile est dictu, quanti inde emanaverint errores. Haec enim est lex censendi et judicandi, aut erit omnino nulla, ut mente et cogitatione constituas, quo jure et quam naturae convenienter quaeque senserit, judicaverit, statuerit auctor. Quod si hujus legis praesidio munitus libellum ipsum perlustraveris, vix poterit fieri, quin de singulis quibusdam rebus dubitationes easque saepe gravissimas tibi obortas esse faintaris. Sunt enim quaedam obscuriora tantisque obducta tenebris, ut vix aut ne vix quidem possint dissipari. Quocirca non est, quod magnopere mireris, eruditissimos nostrae aetatis viros in recensendis singulis satis multa, quae jure meritoque addubitarent atque impugnarent, invenisse et in medium protulisse.

Verum tamen ut in illo laudandi, sic in hoc addubitandi impugnandique genere, et haud scio an etiam magis, cavendum est, ne quid temere fiat, ne quid inconsiderate. Sunt enim, qui longe admodum eos fines, quos modestiae aequitatisque ratio prescribit, transiliant; qui quasi manus adferant Tacito, quum in detrectanda infringendaque ejus fide occupatissimi sint injustissimis de causis: sive ira contra incredibiles illas laudatorum ineptias

nugasque incensi, sive superbia quadam inflati, ne aliorum perdissequi esse videantur. Hoc qui faciunt, altero vitio dum vacant, in alterum turpiter incurruunt.

### §. 3.

Jam vero de fide Taciti recte interpretanda vereque aestimanda accuratius hoc loco erit disserendum. Est autem fides, eam si interpretari velis, nihil fere aliud, nisi veritas et convenientia rerum, quae referuntur, causarumque, quibus hae res continentur. Ipsa quidem, quoniam omnium historiarum fundamentum est, historicā vulgo vocatur. Omnis autem de hac fide quaestio duabus versatur in rebus, quarum una est, potueritne auctor ad veram justamque rerum cognitionem ac scientiam pervenire; altera, volueritne auctor res cognitas vere atque integre referre. Illud igitur genus pertinet ad fontes, ex quibus hauriendi potestas auctori erat data. Qui quidem fontes si uberes sunt, si lucidi, eorumque aditus aut nullis obstructi impedimentis, aut certe levioribus, quae facili negotio possint vinci; nihil profecto impedit, quomodo in omni re, quid sit verum, videre et tueri possit, dummodo in ipsa veri investigatione adhibeat curam, soleritiam, diligentiam. Hoc autem genus attingit propriam auctoris mentem ac consilium, quibus datam veri exquirendi potestatem amplexus est. Acceptos enim rerum nuntios aut integros, quales accepimus, referre, aut eos corruptos mutilatosque disseminare, hoc quantopere ex nostro ipsorum arbitrio ac voluntate profisciscatur, quis nescit? In hoc altero igitur disputationis genere erit examinandum, utrum rerum

scriptor sit veritatis cultor, fraudis inimicus, ita ut res candide ac sincere, sine amore et sine cupiditate, et rursus sine odio et sine invidia composuerit; an forte singulares quaedam exstirrint causae rationesque, cur alia simulare alia dissimulare voluerit. In hanc fere sententiam convenient ea, quae a Cicerone, acutissimo rerum judice, in illo de Oratore libro disputantur, cum boni historici officium in eo positum esse monet, ut nihil dicat falsi, nihil dissimulet veri.<sup>1)</sup>

Itaque si aequi et incorrupti judices atque existimatores esse volumus, haec quidem praecepta tamquam duces et monstratores viarum sequi debemus, cum quaerimus, quae fides Tacito habenda sit in rebus Germanorum.

#### §. 4.

Hisce igitur breviter praemonitis accedimus jam pro instituti nostri ratione ad superioris generis quaestionem, qua quidem fontes, ex quibus quaeque emanasse videantur, examinando esse diximus. Multum sane valere ad fidem faciendam, si auctor suis ipse oculis res adspexerit, facile patet. Quaerimus igitur, fueritne Tacitus in Germania, ita ut hanc terram ejusque incolas et usum et conspectu habeat penitus cognitos. De hac quidem re multum in utramque partem disputatum est; verum tamen adhuc sub iudice lis est et erit fortasse in perpetuum. Argumenta enim satis certa, firma et stabilia sunt omnino nulla. Tacet Tacitus, tacent

---

1) Lib. II. 9.

omnes ceteri scriptores. Quamquam ex hac taciturnitate noli argumentari, ipsum in Germania non fuisse. Aliud enim est tacere, aliud negare. Quam multas eum regiones urbesque Italiae vidisse judicamus, quamquam id non aperte, non de industria testatus est.

Nec vero audiendi sunt ii, qui loco illo: „Vidimus sub divo Vespasiano Veledam, diu apud plerosque numinis loco habitam“<sup>1)</sup> gloriabundi, tamquam splendida reportata victoria, demonstrasse sibi videntur, Tacitum Germaniam terram intrasse. Videant illi, ne quid detrimenti capiat provincia, cuius tutelam suscepérunt. Tacitus enim ipse eos loco depellere et sua contra eos arma vertere videtur. Hic enim non uno sed pluribus simul locis quasi pleniore testatus est ore: fatidicam illam Bructerorum virginem numinis instar esse habitam et tantam fuisse ejus venerationem, ut nemini unquam mortalium aditus ad eam pateret; ipsos Agrippinensium legatos, cum donis ad eam missos, cuncta ex voluntate perpetrasse, sed coram adire et aspicere nuntiam deorum, omnino esse denegatum.<sup>2)</sup> Quid ergo? Quo tandem pacto fieri potuisse arbitramur, ut idem scriptor duas inter se contrarias res uniret et eam se vidisse affirmaret, quam ab ullo conspici negaret? Esto vero, concedamus, virginem ab eo esse visam; at enim quid tum? Illam ut videret, idcircone ulla fuit in Germaniam ipsam proficiendi necessitas? Potuitne illam videre etiam extra fines Germaniae, domi, in ipsa patria terra? Legimus enim apud Statium, captam esse Veledam et in triumpho postea ductam.<sup>3)</sup>

1) Tacit. d. Germ. c. 8. — 2) Histor. IV. 16 & 65, V. 22 & 24. — 3) Silv. lib. I. 4. 89. „Non vacat Arctoas acies Rhenumque rebellem — Captivaeque preces Veledae etc.“

Accedit, quod difficile est ad discernendum, utrum illud „Vidimus Veledam“ ad unum Tacitum, an ad omnes potius aequales, ut fieri assolet, referendum esse videatur. Sed jam sit hujus loci finis. Imbecillitas enim ejus ita patet, ut res uberiore disputatione non egeat.

Multo nobis probabilius eorum opinio esse videtur, qui argumentis ex interiore rerum condicione medioque earum gremio petitis innixi statuendum esse censem, Tacitum in Germania fuisse. Quae tamen argumenta, quum ita comparata sit earum condicio, ut omnes inde dubitationes non penitus tollantur, sed modo tantum infringantur, quantum per conjecturas liceat, hoc loco enarrare et percensere inutile nobis et supervacaneum videtur, praesertim quum satis multa in promtu sint et perspicua et idonea, quibus fides Taciti, etiam si ipse in Germania non fuerit, probari ac confirmari possit. Ad haec igitur argumenta, ne longiores fuisse videamur, quam hujus scriptioris rationes ferant, transire placet.

#### §. 5.

Jam inde ab ea aetate, qua Cimbri Teutonique ingenti illo armorum impetu Italiam perterruerunt, usque ad eam aetatem, qua Tacitus effloruit, quam multos, quam varios, quam praeclaros Romanis patuisse censemus aditus ad res Germanorum penitus percipiendas ac cognoscendas? In medio enim tam longi temporis spatio quae, quanta inter hasce ambas gentes per bella per paces peracta et composita sunt? Quoties denique illorum exercitus Ger-

maniam quoquoversus perlustraverunt et ita perlustraverunt, ut nihil omnino sit, cur dubitemus, quin habuerint hanc terram creberrimo usu satis cognitam ac perspectam? Omnium primus Jul. Caesar sua et virtute et fortuna in Germania usus est. Jam enim, Gallia expugnata et in formam provinciae stipendiariae redacta, aucti imperii fines usque ad Rhenum patebant, qui Romanos a Germanis divideret. Hi vero, nova hac propinquitate ac vicinitate acerbati, ratibus litoribusque Rhenum trajecti, novam provinciam et incursionibus et rapinis et latrociniis vexare ac diripere non destiterunt. Itaque Caesar, has injurias ulturus, cum victore exercitu Rhenum transiit et complures gentes nationesque aggressus intra duodeviginti dies proximam partem Germaniae domuit. Nec semel, sed iterum in Germaniam exercitum trajecit nulloque ibi hoste invento in Galliam revertit. Idemque imperator, quas res cum Germanis fortiter ac strenue gessit, easdem literarum monumentis illustravit, et ita illustravit, ut in ambiguo sit, utro laudis genere praestet. Commodissime enim eas res persecutus est in illo libro, qui „Commentarii de bello Gallico“ inscribitur, in quo quidem libro quum multa praeclara tum haec nobis praeclarissima videntur, quae de sedibus, institutis et moribus Germanorum, qui Rhenum inter et Visurgim incoluerunt, aut usu et conspectu comperisse aut ex aliorum ore accepisse docet.<sup>1)</sup> Caesar igitur primus aperuit fontes uberes ac perennes, ex quibus incredibilis rerum Germanicarum copia profluxerit ac

1) Duobus quidem locis (lib. IV, 1—3 et VI, 21—27) accuratiorem Germaniae et ejus incolarum descriptionem exhibet.

latius emanaverit, ita ut pro suo quisque arbitrio inde possit haurire; idemque ceteris deinceps imperatoribus quasi facem prae-tulit ad collustrandam stratum a se viam, qua iretur ad bellum in Germania administrandum. Etenim si verum est, sicuti est verissimum, hoc esse ex summo ducis officio, praesertim cum novam gentem incognitamque terram armis castrisque tentare con-stituerit, ut sedulo anquirat alque aucupetur, qualis sit terrae na-tura, qui idonei aditus, quae aut quantae nationes eam incolant, quem usum belli habeant, quibus institutis utantur: quanta cura, quanta diligentia, quanta denique solertia omnes deinceps impera-tores ducesque apertos et obvios fontes adiisse et recentes in-vestigasse judicamus? Qua in re, ut ad Caesarem revertamur, alia ipsum alia ratione ac via cognovisse legimus. Crebri ad eum nuntii delati sunt per legatos ultro citroque missos, multas res per obsides comperit in fidem acceptos, multas per exploratores quoquaversus dispositos, multas denique easdemque gravissimas per transfugas et captivos, quorum multa milia ex Germania transtu-lit et supra ripam Rheni in Gallia collocavit. Sic cognovit ex captivorum ore, alia ut ne commemorem, non esse fas, Germa-nos pugnare ante novam lunam, vicitque impeditos religione hostes.<sup>2)</sup> Tantam sibi in Germania auctoritatem jam paraverat, ut undique ad eum legationes concurrerent, gratiam atque amici-tiam publice privatimque petentes. Huc accedebat, quod non so-lum singuli Germani, verum etiam totae cohortes stipendiariae,

---

2) Caes. comm. I. 49, 50. — Dion. XXX. VIII. 48.

quoniam egregia virtute cogniti erant Germani, in exercitibus Romanis militabant, ita ut domesticarum rerum memoriam per latos imperii fines dispergerent ac disseminarent. Germanorum enim auxiliis Caesar hostes saepius devicit,<sup>3)</sup> etiam Pharsalicum illum triumphum deportavit.<sup>4)</sup> Jam inde ab eo tempore ipsi Germanorum principes et amicitiis et consuetudinibus cum Romanis jungi coepti sunt. Praeter alias enim clarissimus ille Arioistus a Caesare commemoratur, quem a senatu amplissimo et regis et amici nomine appellatum multisque muneribus auctum esse legimus.<sup>5)</sup>

Sed jam satis multa de hoc primo bello Germanico. Ex iis enim, quae supra breviter perstrinximus, satis elucidere videatur, qui aditus qualesque Romanis patere cooperint ad res Germanorum percipiendas ac cognoscendas; qua larga manu semina rerum quoquoversus dispersa sint ad provehendam augendamque earum scientiam. Haec vero semina, quo factum sit, ut nova deinceps caperent incrementa atque in uberrimam denique laetissimamque excrescerent segetem, paucis infra docebimus.

### §. 6.

Bellum igitur Germanicum, a Caesare inchoatum et quasi hereditate relictum, primum translatum est in Agrippam, deinde in Lollium, quorum uterque acceptis cladibus insignis est.<sup>1)</sup> Secutus est Drusus, Augusti privignus, cui, ut Ovidii verbis utar, et mortem et nomen Germania fecit.<sup>2)</sup> Qui vir fortissimus magno cum

3) Caes. comm. VII. 65, 70, 80. — 4) Flor. IV. 2. Appian. d. b. civ. II. 64. — 5) Caes. comm. I. 35, 43.

1) Vellej. II. 97. — 2) Fastor. I. 597.

exercitu non semel, sed quater in Germaniam missus est, ejusque ductu et auspiciis ferocissimae gentes fractae atque intima Germaniae reclusa sunt. Omnes enim inter Rhenum et Salam terras gentesque victor perlustravit, invisum atque inaccessum in id tempus Hercynium saltum patefecit, ipsum oceanum septentrionalem primus ducum Romanorum navigavit et complures insulas cognovit. Praeterea in tutelam provinciarum praesidia atque custodias ubique disposuit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim; nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit.<sup>3)</sup> Ipse vero, qui ob res in Germania paeclarissime gestas „Germanicus“ appellatus est, in hac ipsa victoriarum sede tristi sorti succubuit.<sup>4)</sup> Cura deinde atque moles hujus belli Tiberio delegata est, qui plura consilio et calliditate, quam vi et armis perfecisse videtur. Primo statim adventu ingentem Germanorum numerum supra ripam Rheni in Galliam transtulit et complures simul principes ac gentes societate et consuetudine sibi devinxit. Idem saepius, quam quisquam priorum, in Germaniam missus, quidquid inter Rhenum et Albim terrarum est, victor peragravit et sic perdomuit eam, ut in formam paene stipendiariae provinciae redigeret. In mediis Germaniae finibus hiberna locavit, simulque classis, quae oceani circumnavigaverat sinus, flumini Albi subiecta est. Quid commemorem Domitium Aenobarbum, quid M. Vinicium et plures alios, qui in locum Tiberii suffecti rebus ibidem paeerant? Ea denique in Germania pax erat, ut mu-

3) Flor. IV. 12. — 4) Strabo VII. 1. „Ἐσι δὲ καὶ Ξάλας ποταμὸς, οὗ μεταξύ καὶ τοῦ Ρήγου πολεμῶν καὶ κατορθῶν Ἰρούσος ἐπελεῖτησεν ὁ Γερμανικός.

tati homines, alia terra, coelum ipsum mitius molliusque solito videretur.<sup>5)</sup>

Auctis igitur inter ambas gentes conjunctionibus nova quae-dam ac laetiora momenta accesserunt, quibus Romani ampliore at-que accuratiore rerum Germanicarum scientia imbuerentur. Singu-lis annis crebri mercatores in Germaniam proficiscebantur et iis in locis, quibus Romanorum castra erant collocata, tamquam coloni considebant.<sup>6)</sup> Ipsi indigenae ad mercatum confluebant, satis alacres, quum haberent, quibus aut spolia bello capta aut glesum mari ejectum venderent. Multos exinde pacatos cum Ro-manis congressus habebant eorumque moribus jam assuefieri vide-bantur. In immensum autem excrevit indigenarum numerus, qui per cunctum imperii Romani orbem stipendia merebant. In primis ipsa urbs Roma Germanis affluebat, qui vel captivi triumphorum gloriam amplificaverant vel ab imperatoribus ob fidem et fortitudi-nem erant arcessiti. Ipsi etiam principes, quorum multis cura honoratoris militiae erat commissa, jam frequentiores cum Roma-nis jungebant amicitias, consuetudines, assiduitates, indeque ci-vitate aliisque praemiis honorabantur. In periculis bellisque duci-bus Romanis praesto erant, vel rogati ut amici, vel arcessiti ut socii, vel evocati ut domiti. Multi insuper filios Romam ultro mittebant, ubi exuta domestica feritate ad disciplinam Romanam conformarentur. Sed jam singulis exponamus, quod hac de re in universum diximus. Arminius, illustrissimus ille Germaniae li-

---

5) Flor. IV. 12. — 6) Tac. Hist. IV. 22.: „Subversa longae pacis opera, haud procul castris, in modum municipii exstructa, ne hostibus usui forent.“

berator, Romanis in castris dux popularium meruit, idemque civitate et equestri gradu ornatus est; <sup>7)</sup> Flavius, assiduus militiae Romanae comes, in ipso Arminii fratris conspectu gloriatus est torque, corona aliisque militaribus donis a senatu acceptis; <sup>8)</sup> Italicus, hujus Flavii filius, in ipsa urbe Roma natus et educatus est; eundemque Cheruscorum gens a senatu sibi expetivit regem. <sup>9)</sup> Quid de Segeste dicam, fidieli illo Romanorum satellite, qui civitate donatus id perfecit, ut Segimero filio sacerdotium a Romanis demandaretur? <sup>10)</sup> Quid de Maroboduo, Suevorum rege, qui patrio regno expulsus hospitio ab iis exceptus est et per duodeviginti annos in Italia habitavit? <sup>11)</sup> Quid de illis Frisiorum principibus, quos Romae adfuisse ibidemque in theatro Pompeji medios inter senatores consedisse legimus? <sup>12)</sup> Quid denique de Thusnelda, Arminii uxore, et de Veleda, fatidica illa virgine, quae in captivitatem sunt abductae? Jam ipsi Germaniae incolae ad disciplinam Romanam se applicare coeperunt, praesertim quam assidua illa ac diuturna consuetudine multi eorum sensim pedetentimque linguae Latinae usui et commercio assuescerent. <sup>13)</sup> Ad formanda igitur pace, quae bello subacta erant, missus est in Germaniam Quintilius Varus, qui in mediis ejus finibus, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, jurisdictionibus agendoque pro tribunali ordine trahebat aestiva. <sup>14)</sup> Post ignominiosam illam cladem Tiberius rem Romanam in Germania restituere et sustinere studuit.

7) Tac. ann. II. 10. Vellej. II. 118. — 8) Tac. ann. II. 9. — 9) Ib. XI. 16. —  
10) Ib. I. 55, 59. — 11) Ib. II. 63. — 12) Ib. XIII. 54. — 13) Ib. II. 10. — 14) Vell. II. 117.

Sed longum est enumerare et percensere omnes deinceps imperatores, qui rebus in Germania gestis aut honestam aut turpem sui reliquerunt memoriam. Ex iis enim, quae supra brevi in conspectu, quantum per angustos hujus loci fines licet, posuimus, liquido jam constare arbitramur id, quod in hujus expositionis exordio diximus, satis multa ex perenni hoc et inexhausto rerum Germanicarum fonte ad communem omnium cognitionem ac scientiam permanare et potuisse et debuisse. Jam ad Tacitum revertamur.

#### §. 7.

In hac perenni rerum Germanicarum affluentia atque abundantia, in hoc incredibili idoneorum testium numero, quantas, quot occasiones, quam praeclaras ei fuisse constat ad justam earum cognitionem ac scientiam pervenienti imaginemque inde ad verum expressam ob oculos ponendi. Scripsit enim Tacitus illum libellum sub imperatore Trajano,<sup>1)</sup> ea quidem aetate, qua Germania per unum et dimidium fere saeculum jam saepissime erat quoquo-versus a Romanis perlustrata; qua eximiae illius gentis res in omnium civium erant ore novamque indies et paene insatiabilem excitabant cognoscendi aviditatem. Quae quum ita sint, multa Tacitus comperire potuit ex ore civium suorum, qui ipsa in Germania rebus interfuerant easque ibidem ipso sensuum adminiculo ac ministerio percepérant. Quorum in numero locupletissimos ei testes

<sup>1)</sup> Tac. d. Germ. 37.

fuisse patet ipsos duces atque imperatores, quibus cura Germanici belli erat commissa. Hi enim quum mente et consilio in bellum illud inclytum, materiam ac segetem suae gloriae, incumberent; omnia profecto, quae diligentia solertiaque provideri ac circumspici possunt, providebant ac circumspiciebant, ut, priusquam belli periculum facerent, ad omnes ejus casus eventusque certa sibi compararent subsidia. Potuit igitur hosce omnes, quorum consuetudine ac familiaritate utebatur, quum in bellum prefecturos tum aucta rerum cognitione ex eodem reversos consulere et, quod quisque eorum in quavis re audivisset aut cognovisset, sciscitando comperire. Id quidem potuit, quoties voluit, voluit autem saepissime. Quid censemus eum, quo studio in ipsos Germanos inquisivisse, qui ea aetate Romae erant frequentissimi et in novis quoque sedibus patrios mores et instituta diu sequebantur, ita ut ea etiam coram aspici possent, quae peregre erant nuntiata? Accedit, quod Tacitus nonnullis eorum principibus, quos Romae adfuisse supra commemoravimus, propemodum fuit aequalis. Quae igitur in promtu minus posita et a vulgarium oculis remotiora erant, ea ex his idoneis nuntiis interpretibusque tamquam ex uberrimo fonte haurire licuit non solum ad discutendas, si quae essent nebularum caligines, verum etiam ad interiorem rerum Germanicarum condicionem nativamque earum indolem penitus percipiendam. Multa denique comperire potuit ex tabulis publicis atque ex imperatorum commentariis, quorum aditus facile ei patebant pro ea, qua valuit, publica auctoritate. Haec igitur res quum ita sit comparata, quum tot tam claris argumentis signis-

que luceat, quid postulamus, quid volumus amplius? Ad hanc uberrimam idoneorum testium frequentiam quid addi potest? nisi forte existimamus, ipsum per sordidam quandam inertiam ac negligentiam non attulisse studium ad veritatem explorandam, aut per credulitatem ac levitatem faciles aures praebuisse hominum sermunculis inanibusque rumoribus, ita quidem, ut levissimam quamque auditionem haberet pro re comperta atque explorata.

Verum tamen quis tam iniquus rerum judex est, quis eo dementiae prorsus delapsus, ut hunc eximum virum, splendidissimum suae aetatis lumen et ornamentum, turpissima illa inquinare conetur calumnia? Earum enim virtutum, quibus rerum scriptor debet esse instructus et ornatus, tantum abest, ut ulla in eo desideretur, ut omnes in eo sint omnibus numeris expletae. Nullus unquam scriptor prudentior, consideratior, solertior fuit. Praeter insignem autem intelligentiae cupiditatem ingeniique sagacitatem, amplissima nutritam experientia, rerum magistra, tanto exsplenduit animi candore, tanta vitae religione, tanta denique morum sinceritate, ut vix ac ne vix quidem ullum haberet parem. Quae quidem virtutes, non est, quod extrinsecus repetenda videantur; in iis enim, quibus invida aetas pepertit, libris satis obviae ac conspicuae sunt. An vero existimamus, eundem scriptorem, cuius diligentia, auctoritas, fides in annalium historiarumque libris comprobatisimae sunt, in hoc uno de Germania libello inertem, negligentem, stolidum inveniri? Quid ineptius cogitari vel fingi potest? Ipsum enim libellum si ratione et animo perlustraverimus, non poterit fieri, quin omnino statuendum esse censeamus, Tac-

tum, si non majorem, at eandem tamen curam in exhibendis Germanorum rebus collocasse. Sponte enim ex ipsa libelli indole elucet, scriptorem singulari quadam animi affectione tenerrimoque amore hanc gentem amplexum esse ac miro quodam animi desiderio in eam inquisivisse et ita inquisivisse, ut in omnes vel intimos rerum recessus ac sinus, una veritate duce, comperturus penetraverit, comperta autem mentis acumine digesserit et vivis quasi coloribus depicta atque exornata ob oculos posuerit. Voluit enim accuratiorem expeditioremque eximiae gentis notitiam pervulgare eaque summam omnium aviditatem explere. Complures igitur, quos adiit, fontes aperte commemorat, idemque, quod incertum atque ambiguum videtur, candide id profitetur, ut pro suo quisque arbitrio addat aut demat fidem.<sup>2)</sup>

Jam vero quanta auctoritate ac fide publice privatimque valuerit, satis hoc apparet ex honorum amplitudine, quos est gradatim singulos assecutus; satis ex summa summorum virorum existimatione, qua eum mirum quantum exornatum fuisse legimus. Habemus luculenta veterum scriptorum testimonia quum aliorum tum praecipue Plinii minoris, idonei sane rerum judicis. Exstant enim complures ejus epistolae, aliae ad Tacitum amicum, aliae de Tacito ad diversos missae, in quibus hunc laudibus ita extulit, „ut sibi primus videretur, dum ab eo proximus haberetur ingenio, studio, labore et reverentia posterorum.“<sup>3)</sup> Alia ejus epistola sic incipit: „Auguror, nec me fallit augurium, historias tuas immor-

2) Tac. Germ. c. 2. 3. 33. — 3) Epist. VII. 20.

tales futuras.“<sup>4)</sup> In alia epistola haec eximia leguntur verba: „Laudatus est (Verginius) a consule Cornelio Tacito: nam hic supremus felicitatis cumulus accessit, laudator eloquentissimus.“<sup>5)</sup> In alia denique haec: „Idem (Asinius Rufus) Cornelium Tacitum, scis quem virum, arcta familiaritate complexus est.“<sup>6)</sup> Ac propterea ipse imperator M. Cl. Tacitus, id quod in hujus disputationis ingressione jam commemoravimus, scriptorem nostrum, a quo se genus ducere gloriabatur, honorificentissimo illo decreto cohonestavit. Quid commemoremus, quantis eum laudibus prosecuti sint praestantissimi omnium deinceps aetatum ac gentium viri? Id certe non fecissent, nisi eas virtutes, quibus rerum scriptor debet esse instructus atque exornatus, in Tacito comprobatissemus esse cognovissent. Summo igitur jure omnino statuendum est, nihil ab eo esse praetermissum, nihil neglectum, quod ad certam accuratamque rerum Germanicarum cognitionem ac scientiam conduceret.

#### §. 8.

Reliquum est, ut de aliis quibusdam fontibus, quorum aditus Tacito patebant, dicendum esse videatur. Complures enim scriptores et Latini et Graeci etiam res Germanorum suis libris passim insertas intextasque tractaverunt, quorum principes hoc loco, quam fieri potest brevissime, percensere in animo est. Omnium primus Jul. Caesar, cuius jam supra mentio facta est, suis civibus ad

4) Ib. VII. 33. — 5) Ib. II. 1. — 6) Ib. IV. 15.

interiorem illarum rerum cognitionem quasi signum aliquod sustulit. Neque parvum hoc auctoritatis ac fidei momentum est, quod, quas res descripsit, non solum audivit, sed etiam vidiit, iis non solum interfuit, sed eas etiam gessit. Praeclare de eo Cicero: „voluit Caesar habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam.“<sup>1)</sup> Itaque Tacitus, quum de Germania esset scripturus, hanc materiam jam paratam in suum finem consulere, examinare, digerere indeque, quantum visum est, depromere potuit; atque haec se fecisse, in ipso de Germania libello apertissime testatus est hisce suis verbis: „validiores olim Gallorum res fuisse, summus auctorum, divus Julius, tradidit.“<sup>2)</sup> Praeter hunc autem in illo quidem libello nominavit nullum. Quod si comparationem quandam contentionemque earum rerum, quae ab utroque scriptore de Germanis relatae sunt, institueris; sane plurimas satis inter se convenire, facile tibi persuadebis. At vero eae quoque exstare videntur, in quibus hosce scriptores inter se dissentire reperias, ita ut anceps dubiusque haesites, utri major fides atque auctoritas tribuendae videantur. Ad quam dubitationem profligandam cogitatione probe amplectenda sunt praecipue haec: Primum quidem respiciendum est, quantum et temporum et rerum intervallum sit interjectum inter hos scriptores. Caesar enim commentarios suos, quibus quaedam de indole et moribus Germanorum addidit, eo tempore composuit, quo parum tantum de Germania constabat. Nam inde ab eo tempore, quo Marius ex Cimbris Teutonisque

1) In Bruto c. 75. Cf. Hirt de b. G. praef. — 2) De Germ. c. 28.

illum deportavit triumphum, nemo Romanus rem habuit cum Germanis, ita ut Caesar, quum omnium primus Germaniam ipsam intraret, exiguum tantum hujus gentis haberet notitiam. Accedit, quod eam tantum terrae partem perlustravit, quae Rhenum proxime adjacet, neque satis diu in eadem commoratus est, ut omnia accuratius potuerit explorare, praesertim quum ejus adventu plurimae gentes in silvas ac devia loca decederent. Tacitus vero hanc rem pertractandam sibi sumsit, quum ea per unum et dimidium fere saeculum et ambitu et perspicuitate immensum quantum acrevisset, ut supra relatum est. Ipse quoque in exordio sui libelli testatur, nuper cognitos esse quosdam reges ac gentes, quos bellum aperuerit.<sup>3)</sup> Neque dubitandum est, quin diurna illa cum Romanis consuetudine aliqua et morum et institutorum facta sit mutatio. Quid multa? Caesaris aetate intima Germaniae recludi coepta sunt, Taciti aetate patebant.

Deinde animadvertisendum est, quo uterque animo, studio, consilio ad eam rem scribendam accesserit. Omnino enim probabilius est, Tacitum, quoniam librum de una terra Germania separatim edere instituisse, diligentius quoque curiosiusque in hanc terram gentemque inquisivisse, quam Caesarem, quippe qui separatim de bello Gallico scripserit librum suisque de eo commentariis hanc alienam et fortuitam materiam raptim et inter armorum strepitum intexuerit. Stulte igitur illi mihi agere videntur, qui Tacito praestantiam concedere dubitent. Atque haud scio, an multa,

---

3) De Germ. c. 1.

immo plurima eorum, in quibus Tacitus magnopere ab illo dissentire videtur, verius justusque nova rerum additamenta atque incrementa, quam dissimilitudines ac discrepantiae, vocitanda videantur.

Hic locus me admonet, ut quibusdam viris doctis respondeam, quaerentibus, satisne constanter ipse sibi Tacitus fecerit, qui de eadem Germanorum gente aliud saepe in illo libello, aliud in annalium historiarumque libris retulerit, ita quidem, ut relata ipsa inter se vehementer discrepent ac pugnant. Miror equidem, talem scriptorem, qualem habemus cognitum, tantam sibi conflasse vel temeritatis vel dementiae culpam; sed tamen illae discrepantiae, illae pugnae quae sint et quales, videamus. Praeter alia in medium protulerount fere haec: Tacitus in illo quidem libello multus est in collaudanda Germanorum fide et castitate,<sup>4)</sup> quas tamen virtutes, quum cetera ejus scripta consulimus, in hac gente vehementer desideramus. Legimus enim, Claudiam Sacratam, mulierem Ubiam, stuprum commisisse;<sup>5)</sup> Arminium, perfidia insignem, filiam Segestis rapuisse;<sup>6)</sup> Adgandestrium, illum Cattorum principem, senatui misisse literas, quibus necem Arminii promitteret;<sup>7)</sup> Arminium perfidia propinquorum cecidisse,<sup>8)</sup> et quae sunt generis ejusdem. Haec qui objiciunt, nodum mihi in scirpo quaerere splendidumque scriptoris nomen immeritis maculare sordibus videntur. Constat enim, in illo quidem libello mores et instituta totius gentis in universum describi, in ceteris vero libris, quibus res Romanae tractantur,

4) Ib. c. 18, 19, 20. — 5) Hist. V. 22. — 6) Ann. I. 55. — 7) Ib. II. 88. —  
8) Ib. I. c. — (Conf. Caes. d. b. G. I. 46. — I. 47. — II. 32. — IV. 12.)

singulorum tantum ex Germanica gente hominum passim, prout integra poscit narratio, mentionem fieri. In tam numerosa autem gente singulos exstisset, qui a communi totius gentis ratione abhorrent, quis nescit? Non est igitur, quod miremur, nonnulla, quae de universo populo testatur Tacitus, non eadem semper in singulis inveniri. An forte Spartanorum virtutem bellicam, ut exemplo utar, idcirco nullam fuisse putabimus, quod singulos imbelles timidosque ex acie decessisse legimus? Sed missam faciamus nugatoriam illam accusationem et ad propositum revertamur.

Alia insuper literarum monumenta Tacito in hunc finem suppetivisse scimus, quorum tamen paucas tantum reliquias aut omnino nullas ad nostram aetatem pervenisse dolendum est. In numero quidem eorum, qui in annalium historiarumque libris passim citantur, auctorum eminet Tit. Livius, quem ipse plures summis evehit laudibus.<sup>9)</sup> Ille enim in fine sui operis, id quod ex ejus epitomatore patet, non pauca de Germaniae situ indigenarumque moribus, institutis ac bellis scripsit, quae tamen scripta temporis iniquitate interierunt. Antiquum autem rerum indicem si sequimur, libro CIV exhibuit descriptionem Germaniae ejusque incolarum, lib. CV—CVI res gestas J. Caesaris, lib. CXXXVI—CXXXX expeditiones Drusi. Uberiorem fere rerum notitiam depromere potuit ex libris Plinii majoris, qui rebus in Germania gestis ipse interfuit coramque loca et incolas inspexit. Hic enim viginti libris omnia, quae Romanos inter et Germanos gesta sunt bella, collegit,

9) Tac. ann. IV. 34; Agr. c. 10.

indeque ab ipso Tacito appellatur „Germanicorum bellorum scriptor.“<sup>10)</sup> Idem Plinius historiae naturalis libris etiam Germaniae quandam descriptionem inseruit, quam Tacitum consuluisse facile concedimus. Sequuntur: Asinius Pollio, Horatii familiarissimus, cuius historiae res ea aetate gestas unaque Caesaris expeditiones complexae sunt;<sup>11)</sup> Fabius Rusticus, Senecae familiarissimus, qui historiam Neronis, fortasse etiam Caligulae Claudiique scripsit;<sup>12)</sup> Cluvius Rufus,<sup>13)</sup> Vipstanus Messalla<sup>14)</sup> aliquie, quorum auctoritatem se esse secutum passim testatur et ita testatur, ut nulla omnino de ejus diligentia ac fide oriri possit dubitatio. Multa insuper se reperisse profitetur in Agrippinae commentariis,<sup>15)</sup> multa in fastis et commentariis principum,<sup>16)</sup> multa denique in orationibus et epistolis principum aliorumque.<sup>17)</sup> Haec vero qualem vim habuerint ad res Germanorum cognoscendas, in medio relinquendum est.

Quoniam ad hunc locum perventum est, a fine proposito non alienum videtur, eos quoque percensere auctores, quorum libros de rebus Germanicis compositos Tacitus in usum comparationemque non dicam vocavit, at certe vocare potuit, quamquam id se fecisse neutiquam aperte enunitiat. Quorum tamen numerus quoniam major est, quam qui angustis concessi spatii finibus possit comprehendendi, paucos tantum paucis commemorasse sufficiet. In his quidem nominandi sunt: Aufidius Bassus, qui sub Tiberio

---

10) Ann. I. 69; Conf. Plin. ep. III. 5. — 11) Ann. IV. 34; Conf. Horat. carm. II. 1.; uet. Caes. 56. — 12) Agr. c. 10; Ann. XIII. 20; XIV. 2; XV. 61. — 13) Ann. XIII. 20; IV. 2; Hist. III. 65. — 14) Hist. III. 25. 28. — 15) Ann. IV. 53. — 16) Hist. IV. 49; nn. I. 15; III. 17. — 17) Hist. I. 90; Ann. I. 81; VI. 6.

floruit et Quintiliano teste<sup>18)</sup> eximios de bello Germanico libros scripsit; Vellejus sive, ut aliis jam placet, Villius Paterculus, qui res Romanas per epitomen inde ab urbe condita usque ad suam aetatem, id est, ad tempora Tiberii Caesaris descripsit multumque etiam in rebus Germanorum versatus est; Strabo, eximius ille geographus, qui septimo rerum geographicarum libro de Germania retulit; Pomponius Mela, qui sub imperatore Claudio opus suum de situ orbis composuit unaque res Germanorum illustravit. Quid plures enumerem, qui suis de Germania scriptis laeta Tacito subministrare potuerint subsidia? Hic igitur ea, quae a superioribus vage ac fuse dispersa erant, hinc inde conquirere, in unumque locum collecta examinare, falsa a veris discernere, haec confirmare, illa convellere, denique rerum Germanicarum imaginem ex omni parte delineatam et ad verum expressam ob oculos collocare potuit. Quae quum ita sint, jure meritoque inter omnes ceteros scriptores, quamvis suis quisque luceat meritis, auctoritate tamen et fide ita fulget Tacitus, ut luna inter sidera minora.

#### §. 9.

Tot igitur tantisque ad fidem faciendam aptis accommodatis que virtutibus quamvis insignis sit Tacitus; sunt tamen, quae sedulo observanda ac ponderanda videantur, ne in singulis, quae ab eo referuntur, rebus percensendis a tramite veri aberremus. Primum enim cogitatione probe discernendae sunt res gestae ab

18) Inst. orat. X. 1.

additis causis et rationibus, quae illis supponuntur, neque committendum est, ut eandem utrisque fidem habeamus. Illae enim sensibus percipiuntur, per se lucent, palam sunt et in promptu positae; hae vero recondita quadam ratione cernuntur atque ex nostra ipsorum mente et interpretatione nascuntur. In quo rationandi genere non raro fit, ut erremus, fallamur, decipiatur. Difficile enim est, in interiores naturae recessus et in abdita tacitarum cogitationum receptacula penetrare ibique monstrare fontes, ex quibus singula quaeque effluxerint; praesertim quum in magna hominum varietate multa sint, quae valeant ad sententias eorum variandas, ita quidem, ut de eadem saepe re aliud aliud pro suo quisque ingenio, indole, origine ceterisque vitae condicionibus sentiat ac judicet. Efferunt nimirum ex alieno illo mentis receptaculo, quod ex suo quisque in id ipsum intulerunt. Quod si res externae satis accurate, lucide et distincte compositae ac relatae sunt, ego quidem non dubitem contendere, nobis eandem fere atque ipsi scriptori concedendam esse potestatem argumentandi dijudicandique, ex quo interiore fonte quaeque emanaverint.

Hac igitur norma complures loci Tacitei metiendi sunt, quorum ex numero brevitatis causa unum modo in hunc finem examinasse sufficiet. Idem enim, postquam Germanos neque tempa neque simulacra deorum habuisse commemoravit, haec fere de suis addidit: habuisse hanc gentem deos majores, quam qui possent parietibus cohiberi aut in ullam humani oris speciem adsimulari; ideoque lucos ac nemora consecrasse, deorumque nominibus appell-

lasse secretum illud, quod sola reverentia viderent. <sup>1)</sup> Quod quidem judicium, ex Taciti subtilioribus philosophiae praceptis profectum, qua ratione defendi possit, non video. Haec allegorica enim ac symbolica quaedam sapientia quomodo respondere potest inferiori cultus et humanitatis condicioni barbarae gentis, quam eandem alio quidem loco, ubi de Cattis disserit, hisce suis vellicat verbis: „Multum, ut inter Germanos, (iis est) rationis ac solertiae.“ <sup>2)</sup> Quo tandem modo cogitari potest, rudiorem hanc gentem eo jam altioris intelligentiae progressam esse, ut persuasum haberet, cultum divinum esse positum non in rebus externis, sed in candiore observantia legis rationi impressae deique auctoritate tamquam mystice promulgatae? Quid igitur? Justam et idoneam hujus rei causam unde profectam esse censemus? Evidem dicam quod sentio et, ut arbitror, dicam vere. Idcirco mihi ille deorum cultus neque templis neque simulacris exornatus fuisse videtur, quod ruidores erant antiquissimi Germani, iisque exstruendis et simulandis nondum pares. Scimus enim, id quod omnium fere gentium historiis cognitum habemus, religionem esse illarum artium et genitricem et adjutricem. Quae tamen artes apud omnes, quarum memoria ad nos perlata est, gentes a tam exiguis profectae sunt initiis, ut saepe informe lignum, rude saxum, et quae sunt hisce similia, numinis instar colerentur. Atque id ipsum simulacrorum genus quin etiam Germanis in usu fuerit, nihil est, cur dubitemus; praesertim quum hujus rei non solum vestigia extent, verum

1) Tac. d. Germ. c. 9. — 2) Ib. c. 30. Conf. Caes. d. b. G. IV. 3. „ut est captus Germanorum.“

etiam testimonia satis aperta. Legimus enim apud ipsum Tacitum, Suevorum genti fuisse Isis deae „signum, in modum liburnae figuratum.“<sup>3)</sup> Atque etiam templa deorum non omnino defuisse videntur. Idem enim retulit, Caesarem in sedibus Marsorum profana simul et sacra, et celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfanae vocarent, solo aequasse.<sup>4)</sup> Quae tamen templa et simulacra certe tam pauca fuerunt, tam rudia informiaque, ut homini praesertim Romano, summae templorum simulacrorumque magnificentiae atque abundantiae assuetissimo, fere nulla viderentur. Hac rerum condicione scriptori nostro ad sua philosophiae precepta ascendere placuit, unde sibi sumeret, quibus locum apud dilectissimam gentem vacuum pie expleret. Ceterum etiam Plutarchum de cultu divino apud antiquos Romanos disserentem, eodem fere sophismate usum esse scimus. Ab eo enim relatum est, per primos centum septuaginta annos Romanos nullam habuisse dei imaginem, neque pictam neque fictam; nefas putantes augstiora exprimere humilioribus, neque concipi aliter deum, quam mente, posse.<sup>5)</sup> Sed satis de hoc, jam ad reliqua pergamus.

Deinde, ut ea, quae a Tacito commemorata legimus, recte atque integre intelligamus, meminisse debemus, res gentis nostrae, quoniam ab auctore alienigena et in vitae condicionibus omnino dissimilibus immo diversis collocato relatae sint, variis quibusdam condicionis Romanae coloribus intinctas infuscatasque ad nos per-

3) De Germ. c. 9. Conf. ib. c. 7. et Hist. IV. 22. — 4) Ann. I. 51. —

5) In vit. Numae c. 8. „ώς οὐτε δσιον ἀφομοιοῦν τὰ βελτίονα τοῖς χειροσιν, οὐτὲ ἐφάπτεσθαι Θεοῦ δυνατὸν ἄλλως, η νοήσει.“

venisse. Quod qui distinguere negligunt, vix dici potest, quanto-  
pere ad hunc scopulum, multorum naufragiis infamem, offendant.  
Ea enim est rerum externarum atque incognitarum condicio, ut  
easdem cum domesticis ac cognitis comparantes optime possimus  
perspicere. Itaque Tacitus, hanc normam secutus, res Germani-  
cas saepenumero in comparationem contentionemque cum Roma-  
nis vocavit. Sed tamen quam facile fieri arbitramur, ut eae  
quidem res, quae in comparationem cadunt, exigua quadam re-  
perta similitudine, inter se ne dicam omnino confundantur, at  
certe varie afficiantur. Romani autem et Germani non solum  
lingua, moribus, institutis deorumque cultu, verum etiam ipsa ter-  
rae natura coelique temperie mirum quantum differebant. Haec  
vero et similia quantam vim habeant ad infringendam fidem veri-  
tatemque, quum aliunde cognitum est, tum praecipue ex illo Ta-  
citi libello, in quo multa reperiuntur vestigia eademque satis ex-  
pressa. Velut relatum legimus, Germanos coluisse Mercurium,  
Herculem, Martem.<sup>6)</sup> Hoc quidem loco Tacitum numinibus Ger-  
manicis propter aliquam cum Graecis Latinisque similitudinem no-  
mina Graeca et Latina imposuisse, omissis vocabulis Germanicis,  
satis appareat. Itaque scriptor, quod hoc loco reticuit, id alio,  
ubi de Castoris Pollucisque apud Naharvalos cultu disserit, aperte  
dixit, hoc quidem addito „interpretatione Romana.“<sup>7)</sup> Similis  
ratio est eorum, quae de tristi cultu aspectuque terrae Germaniae  
et de aspero ejus coelo commemorantur.<sup>8)</sup> Haec enim tristitia

---

6) Tac. d. Germ. c. 9. — 7) Ib. c. 43. — 8) Ib. c. 2. 5. conf. 16.

atque asperitas, quamquam eas satis magnas fuisse facile concedimus, in immensum tamen augeantur et in horrorem quendam excrescant necesse erit, si quis Germaniam, qualis tum erat, comparaverit cum Italia, omnium omnino terrarum felicissima, cum suavissimo illo coeli tractu, cum uberrimo denique omnium ibidem rerum cultu ornatuque. Haec igitur et plura alia, quae altiori cultus et humanitatis gradui vindicanda sunt, interpretatione Romana, ut illis Taciti verbis utar, dimetienda et moderanda sunt. Praeterea non facile quisquam reperietur, qui illud sibi comprobatum existimet, quod Tacitus de Tuiscone, terra edito, indigenaque ejus progenie retulit,<sup>9)</sup> in quo praejudicatam quandam et inveteratam jam opinionem secutus esse videtur. Scimus enim, vulgarem fuisse et Romanorum et Graecorum opinionem, eas quidem gentes, quas jam inde a priscis temporibus suas semper sedes incoluisse easdemque nulla unquam inmigratione tamquam colonos occupasse constaret, ex hac eadem sua gleba, nescio qua prodigiosa arte obstetricie, editas progenitasque esse. Quo factum est, ut eas quidem gentes, quas arborum virgultorumque instar e terra pullulasse fingerent, indigenas, terrigenas, autochthones, aborigines vocitarent. Huc quoque referendum est illud de Ulyssis et Herculis in Germaniam adventu.<sup>10)</sup> Nam quum fama esset pervulgatum, insignes hos antiquitatis viros cunctum fere terrarum orbem perlustrasse, facile potuit fieri, ut Romani eosdem Germaniam quoque terram adiisse opinarentur, idque fa-

9) Ib. c. 2. — 10) Ib. c. 3.

cilius, si qui forte in rem aliquam Germanorum incidissent, quae, obvia quantulacunque similitudine ac specie, antiquam illam memoriam referre videretur. Itaque ipse Tacitus candide hoc: „sive adiit Hercules, seu, quidquid ubique magnificum est, in claritudinem ejus referre consuevimus;“<sup>11)</sup> idemque alio loco: „sanctius et reverentius visum, de actis deorum credere, quam scire.“<sup>12)</sup> Germani vero insignem illam memoriam cum quadam animi hilaritate accepisse eandemque mirabundi in novum suae gloriae incrementum, ut fere fit, aluisse mihi videntur. Possem hoc loco plura proferre, nisi ratio eorum, quae pertractanda restant, ne longus sim, moneret. Hisce igitur aliisque praejudicatis opinibus, quae tamen non tam Tacito, quam ejus potius aetati tribuendae videntur, nostrae aetatis jura neutiquam possunt diminui.

Intelligendum est denique, omnes fere nuntios, quos Tacitus in illo de Germania libello retulit, maxima ex parte pertinere ac valere ad eas gentes, quae Rhenum inter et Albim usque ad oceanum septentrionalem incoluerunt. Illae enim gentes Romanis erant praecipue cognitae ac perspectae, quippe quarum sedes omnium maxime armis perlustrassent praesidiisque obsedissent, ut supra jam commemoratum est. Verum igitur illud Plinii: „Nam Germania multis postea annis, nec tota percognita est.“<sup>13)</sup> Atque etiam inter has ipsas gentes distinguendum et id omnino constituendum est, quo quaeque propior Rhenum accoluerit, eo notio-rem ac perspectiorem fuisse Romanis; quod quidem non minus

---

11) Ib. c. 34; alii legunt „consensimus.“ — 12) Ib. c. 34. — 13) Hist. n. IV. 28.

ex illa expeditionum memoria elucet. Quae res cum ita se habeat, summo jure licet contendere, maximam partem eorum, quae a Tacito de situ, moribus et populis Germaniae commemorantur, ad eam praecipue terram pertinere ac valere, quam hodie Guestfali homines incolunt. Manent adhuc, quod mireris, in hac Guestfalia terra vestigia quaedam satis certa atque expressa, quae antiquam illam nostrarum rerum memoriam per tantam saeculorum perpetuitatem laetissime usque aluerunt atque hodie alunt; quae velut cumulus accedunt ad ipsam nostri scriptoris fidem et auctoritatem testandam ac comprobandam. Neque tamen haec ita a nobis disputantur, ut contendamus, omnia cetera esse dubia, suspiciosa, ficta, sed hoc tantum dicimus, esse causas rationesque, cur alia aliis fide et auctoritate praestent. Non enim sumus ii, qui temere sequamur auctoritatem Strabonis, hominis illius longinqui et alienigenae, quem scripsisse miramur, omnem trans Albim Germaniam omnino esse incognitam;<sup>14)</sup> perinde ac si exercitus Romani ripas Albis fluminis nunquam sint transgressi aut nuntii inde allati omnino nulli. Sed falsum id esse, quum multa alia, tum eximie haec Taciti verba testantur: „post (Domitius) exercitu flumen Albim transcendit, longius penetrata Germania, quam quisquam priorum; easque ob res insignia triumphi adeptus est.”<sup>15)</sup> Ceterum in rebus Germanorum minorem esse Strabonis auctoritatem, quam ut in ea omnibus omnino locis possis acquiescere, satis constat. Quamquam magnam fateor opus esse cautionem, ne creduli simus

14) Lib. VII. — 15) Ann. IV. 44.

neve faciles aures praebeamus iis, quae de ulterioribus trans Al-  
bim gentibus nuntiantur. Sunt enim, ut jam saepius monitum est,  
minus cognitae, et tantis saepe obfuscæ tenebris, ut vera a fal-  
sis et subditiciis discernere vix possimus. Ipse rerum scriptor quo-  
dammodo haesitare et non omnibus locis satis sibi constare vide-  
tur. Nam qui Osos alio loco inter Germaniae gentes numerandos  
esse censuit,<sup>16)</sup> eosdem alio loco propter Pannonicæ linguae usum  
neutiquam ad illas pertinere contendit.<sup>17)</sup> Quae quidem repu-  
gnantia tam manifesta est, eam ut scindi potius quam solvi posse,  
judicent interpretes. Sed haec hactenus.

Inprimis igitur hae fere cautiones adhibendae, atque ipsa  
rerum fides suis limitibus ac terminis coercenda videntur, quum  
quaeritur, potueritne auctor ad veram justamque rerum cognitio-  
nen ac scientiam pervenire.

Venimus nunc ad alteram propositae divisionis partem, qua  
quaerendum esse statuimus, volueritne auctor res cognitas vere at-  
que integre referre. Hujus autem quaestionis argumentum, quum  
uberius sit, quam quod possit constitutis hujus loci finibus com-  
prehendi, data aliquando occasione separatim erit pertractandum.

---

16) De Germ. c. 28. — 17) Ib. c. 43.